

donare aliquid pellici, aut concubinæ judicis, seu domini, ut apud illos intercedat: esset enim eam, & illos periculo exponere. 6. Non licet famulis comitari concubinam ad domum amassii, nec herum ad domum concubinæ, facem præferre, lectum eis sternere, nec cibos ministrare illa occasione, nec alia hujusmodi in obsequium eorum præstare, prævidendo malum finem, ad quem omnia hic, & nunc ordiantur: quia sunt proxime cooperationes ad actionem, quæ sine peccato fieri non potest. Et similes aliis, quæ in propositione 51. proscripsit Innocent. XI. *Famulus, qui summissis humeris scienter adjuvat herum suum ascendere per fenestram ad stuprandam virginem, & multoties ei subservit deferendo scalam, aperiendo januam, aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis detrimenti, puta ne male a domino tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur.*

306. Inq. 3. An pingens imagines obcenas grave peccatum scandalum committat? R. affirm. quia prædictæ imagines esto non sint totaliter nudæ, & alias pudenda occultentur, semper sunt fomentum, & incitamentum amoris turpis omnibus eas intuentibus: Unde illicitum etiam est habere eas expositas in domibus, vel cubiculis adhuc velo tectas, vel prætextu ornatas, sed aboleri, aut comburi debent. Nec aliqua utilitas, aut necessitas excusare potest earum picturam, aut retentionem.

307. Inquires 4. An sit licitum præbere alteri occasionem peccandi, ut maritus uxori ad deprehendam eam in adulterio: idem de domino apponente pecuniam famulo, ut ejus fidelitatem experiat? R. Minime licere alicui occasionem peccati præbere: quia non sunt facienda mala, unde proveniant bona. Qui autem præbet occasionem peccati, influit in peccatum. Poterit tamen maritus, aut dominus mere permissive se habere, ut uxor, vel famulus comprehensi, & convicti de peccato, melius respiciant.

308. Inquires 5. An choreæ sint licitæ? R. quamvis choreæ secundum se debita moderatione, & christiana gravitate peractæ, sicut alii ludi honesti ad recreandum animum ordinati, sint licitæ:

tamen prout in plurimum fiunt inter personas diversi sexus, & mutationibus minus honestis, sunt illicitæ. Omnino igitur arcendæ sunt choreæ inter viros, & foeminas, nisi saltem aliquid linteolum mediet inter earum manus, ita ut aulatenus se tangant. Quoniam mulieris tactus est contagiosus. Alier ejusmodi chorizantes nec a Confessariis valent absolvi, nec a Magistratibus permitti. Idem dicas de officio, aut de exercitio histrionum, de spectaculis, & comediis, quæ frequenter a personis venalibus, & vilibus peraguntur. Prob. quoad 1. partem: quia choreæ, spectacula, & comedie ordinantur ex se ad solatium hominum; sed hic finis est honestus, & licitus habitus secundum quod a virtute extrapeliz dirigitur: ergo etiam prædicta media secundum se. Ita D. Thom. 2. 2. q. 168. art. 3.

309. Prob. quoad 2. partem: quia circa actiones morales resolvendum est moraliter, & prout in praxi communiter contingunt; sed in choreis, spectaculis, & comediis communiter adsunt plurimi usus, ut quotidiana experientia satis, superque testatur, ergo sunt illicita. Unde convenientius foret, saltem loquendo de comediis, quod a Magistratibus penitus relegarentur, ac prohiberentur. Quod aperte deducitur ex D. Thom. 2. 2. q. 169. art. 2. ad 4. ubi dicit: *Si tamen operibus alicujus artis pluries aliqui male uterentur, quamvis de se non sint illicitæ, sunt tamen ab officio Principis a civitate extirpandæ secundum documenta Platonis.* Si hæc autoritas adeo luculenta non tenet, saltem de comediis hujus temporis, vix, aut ne vix de aliqua arte verificari valet. Quid enim sunt comedie nisi theatrum Doemonum, festum Diaboli, scena turpitudinis, gymnasium impudentiæ, schola lasciviæ, pestis reipublicæ, & universitas vitiorum? Ita SS. PP.

310. Inq. 6. An sit licita mutatio vestitus alterius sexus? R. ex necessitate, aut rationabili causa esse licitam prædictam mutationem; deficiente vero causa, aut necessitate, esse vitiosam. Ita D. Thom. 2. 2. q. 169. art. 2. ad 3. *De se vitiosum est, quod mulier utatur veste virili, aut e converso, & præcipue, quia hoc potest esse*

*se causa lasciviæ. Potest tamen quandoque hoc fieri sine peccato propter aliquam necessitatem, vel causa se occultandi ab hostibus: vel propter defectum alterius vestimenti: vel propter aliquid aliud hujusmodi.* Igitur permittendus non est usus vestium alterius sexus, præcisa causa, aut necessitate.

311. Inq. 7. Quid agere debeat, qui alium ad peccatum induxit, aut a bono retraxit? R. Quod si alterum induxisti ad peccandum falsa doctrina, vi, aut dolo, teneris ex justitia ad aperiendam ei veritatem, docendo sanam doctrinam, ad restituendum ei libertatem, & ad suadendum pro viribus, ut a peccato absteat, vel poeniteat, aut restituat. Insuper teneris ex justitia ad restituendam damna temporalia, si quæ ille passus est ex tua falsa doctrina, vi, aut dolo: quia fuisti causa injusta omnis damni spiritualis, & temporalis. Si autem inducio solum fuit pravo exemplo, aut simplici præce, teneris ex caritate illum retrahere a peccato, non tamen ad damna temporalia ei restituenda: quia ipse voluntarie, & absque injustitia, ex tua parte, consensit in malum.

312. Similiter, si aliquem retraxisti

a bono, ut: ab ingressu religionis, vi, aut dolo, aut quid falsi imponendo religioni, teneris ex justitia ad omnia damna spiritualia, & temporalia pro viribus restituenda ei, & etiam religioni, secundum spem, quam ex illius ingressu percipere posset: nam licet religio non haberet jus ad ingressum illius, habebat tamen jus, ne injuste privaretur. Unde teneris in primis ad restituendum honorem religioni, deinde ad suadendum illi ingressum, & etiam in defectum hujus, alteri, si libere consentiat: aut alio modo conari ad compensandam injustitiam; non tamen teneris tu ipse ingredi religionem, si vocationem, & alia requisita non habeas. Si autem retraxisti absque vi, fraude, aut dolo, sed tantum precibus, vel suasionem non falsa, sed revera non bona, nec congrua, teneris ex caritate ad damnum spirituale ei compensandum, suadendo pro possibili ingressum, & removendo ab eo scandalum, quod præbuiti. Denique si retraxisti illum ex rationabili causa, ut quia parentes, aut alii cognati eo indigebant, aut simili justo motivo, ad nihil teneris, quia prouder egisti.

## TRACTATUS DECIMUS

### DE PRIMO DECALOGI PRÆCEPTO.

Exploratis his, quæ sunt præambula ad præcepta Decalogi, sermonem instituumus de primo ejusdem præcepto, quod est de uno solo Deo colendo; cum autem ad veri Dei cultum ex proprio munere nos dirigat virtus religionis, ideoque dicatur eusebia seu bonus cultus, accedimus ad eam explicandam ex doctrina Angel. Præcept. qui de illa disserit 2. 2. q. 81.

#### CAPUT I.

##### De virtute religionis.

##### PUNCTUM I.

##### Notio, & actus religionis.

1. Inq. 1. Quid sit religio? R. est vir-

tus, quæ debitum cultum tribuit Deo, tanquam primo omnium principio. Quidam putant, quod hæc virtus dicitur religio à verbo *relego*, quia ea, quæ ad cultum Dei attinent, iterum, atque iterum sunt legenda. Alii derivari a verbo *religo*, eo quod ipsa nos Deo religat, seu iterum, aut fortius ligat; quia vinculo naturali ad colendum Deum ligati, per religionem iterata ligatione ei subijcitur. D. Th. 2. 2. q. 81. a. 1. in corp.

2. Inquires 2. quodnam sit objectum religionis? R. objectum cui est Deus; objectum autem quod est cultus Deo debitus. Unde non est virtus theologica, quia non terminatur immediate ad Deum, tanquam ad objectum quod. Ratio formalis sub qua est excellentia Divina sub ratio-

tionem primi principii. Ideo licet actus religionis sint adeo diversi, est una virtus specie atoma, quia omnes tendunt ad tribuendum Deo cultum sub eadem ratione formali supremæ excellentiæ, supremique domini. Et ideo, ait Angel. Doctor 2. 2. q. 81. a. 6. in corpore. *Religio præeminet inter alias virtutes morales*; Quia proximus illis nos Deo conjungit, attingens immediatus, & nobilissimus Deum, ut objectum cui; ex parte creaturæ est iustitia colere Deum; tamen solum est pars potentialis, non subiectiva iustitiæ; quia non tribuit cultum ad æqualitatem debiti. Sed notandum excusum, quia D. Thom. attribuit religioni respectu virtutum moralium, intelligi debere salvamantem excellentiam virtutis penitentis, de qua postea tr. 27. n. 4. Inq. 3. Quotplex sit religio? R. potest esse falsa; & vera. Religio falsa est, quæ colit plures Deos, ut faciebant Gentiles. Vel quæ colit unum Deum modis indebitis absque vera fide, ut faciunt Turcæ, Mauri, Judæi, hæretici, & ceteri, qui sunt extra Ecclesiam catholicam Românam. Vera religio est, quæ colit verum Deum modo debito. Religio vera alia est naturalis, seu acquisita, alia supernaturalis, seu infusa. Naturalis est, quæ colimus Deum, ut auctorem naturæ, & propter dona, & beneficia naturalia ab eo accepta. Supernaturalis est, quæ colimus Deum, ut auctorem gratiæ, & gloriæ, & propter beneficia, & dona supernaturalia nobis ab ipso collata. Sine hac, nec firma, nec salutaris est illa.

4. Quidam sibi sapientes, sed verè insipientes, ex quorum numero sunt Volterra, vel Voltaire, Rousseau, alique hujus furfuris incautis suadere conantur, nulla opus esse superna revelatione pro vera religione sequenda; & quemlibet in sua religione salvari posse, ut somniasse fertur Marcus Anton. de Dominis, qui penitus despiciendi sunt, ut vere insipidi sine mica salis, adhuc scientiæ naturalis, quæ solum præditi Epitedus, Cato, Socrates, Plato, Aristoteles, Cicero, Seneca, & alii antiquiores agnovērunt nostrum intellectum esse velut visum Nocturæ ad percipienda entia spiri-

tualia, indigereque juvamine altioris luminis ad veram notitiam Dei, ac etiam animæ rationalis. Agnovere, inquam, dari quasdam substantias eorum captu superiores, & sibi ignotas, de quibus plura potius conjectando, quam definiendo tradiderunt. Sed aliqua venia digni sunt, ex defectu enim divini revelationis, in plurima deliramenta inciderunt, ut diximus tract. 1. n. 4.

5. Scituli vero moderni supernam revelationem despicientes, non tantum in hoc lapsi sunt, ut ignorarent bonâ, sed & insipientiæ suæ præ omnibus reliquerunt posteris memoriam, ut in his, quæ peccaverunt, nec latere potuissent: incepte docentes posse quemlibet amplecti religionem, quam maluerit, aperiendo januam idolatriæ, omnique falsitati, ac errori. Cautius Moyses sibi sapienter creationem Angelorum, ne populus rudis in errores laberetur, ait Angelic. 1. p. q. 61. art. 1. ad 1.

6. Inq. 4. Quot, & quales sint actus religionis? R. sunt in multiplici differentia, nam alii sunt interni, ut devotio, & oratio: alii externi, qui in tres classes dividuntur. Nam alii ipsum corpus Deo subiciunt, ut adoratio. Alii, quibus aliquid de rebus exterioribus Deo offertur, ut sacrificia, decimæ, primitiæ, & similia, quæ communi vocabulo dicuntur oblatio. Alii denique, quibus divinum nomen ad aliquid assumitur, ut juramenta, in quibus nomen Dei ad testificandam veritatem assumitur, vota, quibus aliquid Deo promittitur, adjuratio, qua quis per nomen Dei ad aliquid iudicatur, tandem assumptio divini nominis in laudem, quod fit per cantum, ad recitationem divini officii, aut per quamlibet laudem Deo præstitam. Ex quibus habes, quod actus religionis sunt decem, nempe devotio, oratio, adoratio, sacrificium, oblatio, votum, juramentum, adjuratio, & assumptio divini nominis in laudem. D. Th. ubi sup. ad 1.

7. Inq. 5. Quales sint actus principales religionis? R. sunt tres, videlicet: Adoratio, sacrificium, & votum: Verum inter omnes præstantissimus actus religionis est sacrificium altaris. Nota, quod religio habet duplices actus: alios a se elicitos, ut adorare, sacrificare, &

& alia hujusmodi; alios a se imperatos; elicitos tamen ab aliis virtutibus. Unde Jacobi 10. dicitur: *Religio munda, & immaculata apud Deum, & patrem, hæc est visitare pupillos, & viduas in tribulatione eorum; & immaculatum se custodire in hoc sæculo*: hæc autem, & similia dicuntur actus religionis, quia ex vera religione imperantur, & ordinantur ad reverentiam Dei, ut ait D. Th. 2. 2. q. 81. art. 1. ad 1.

8. Inq. 6. Quando obligat actus religionis? R. obligant eisdem temporibus, ac præcepta fidei, spei, & caritatis, tam per se, quam per accidens proportionem servata. Non quidem secundum omnes actus recensitos, sed ad exhibendum Deo optimo, & maximo aliquem cultum in protestationem supremi domini, supremæque excellentiæ. Quoniam vere dignum, & justum est, ut qui tot a Deo accipimus beneficia, saltem dictis temporibus aliquam gratiarum exhibeamus actionem per aliquem cultum tanto benefactori præstitum. Compertum est autem ab omni fideli hoc præceptum adimpleri, quia nullus est adeo pravus, & scelestus, ut pluries in anno saltem aliquas preces non effundat, vel Missam audiat. Verum non hinc inferas obligare per se omni die festo, quia alia est obligatio præcepti divini, & naturalis, alia ecclesiastica: illa semper est una; hæc autem variabilis est juxta festorum institutionem, aut variationem.

## PUNCTUM II.

## De devotione.

9. Inq. 1. Quid sit devotio? R. est voluntas quædam prompta tradendi se ad ea, quæ pertinent ad Dei famulatum. Voluntas sumitur non pro ipsa voluntate, sed pro ejus actu; cæteræ particulæ ostendunt naturam propriam devotio-nis. Devoti enim dicuntur homines dicati, seu dediti peculiariter in obsequium Dei: unde promptitudo animi, quæ hominem reddit celerem, ac fervidum circa omnia, quæ in obsequium Dei cedere possunt, distinguit devotionem a cæteris virtutibus. Vera quippe devotio non consistit in lacrymis, aut sensibili tene-

ritudine, sed in prompta, ac fervida voluntate observandi divina mandata, & omnia, quæ atineant ad amorem Dei, & proximi, ut præclare docet seraphica doctrix sancta Theresia in libro vitæ. cap. 9. n. 8. Mans. 5. cap. 3. n. 11. & 12. & D. Thom. q. 82. a. 1. in corp.

10. Inq. 2. Quotplex sit causa devotionis? R. est duplex; alia exterior nempe Deus, qui tribuit illam cui, quando, & quomodo sibi placet, & expedire cognoscit. Alia interior, nempe meditatio divini bonitatis, & beneficiorum, quæ incessanter gratis nobis ab eo conferuntur: unde habet etiam duplicem effectum, alterum per se, lætitiæ videlicet spiritualis, gustus, delectationis, & suavitatis, quam percipere solent vere devoti. Non tamen necessum est, ut has delectationes semper pariat, cum plures pios, sanctosque viros sciamus hujusmodi suavitatibus privatos, quin ob hoc vera devotione caruissent; imo hæc suavitas, & dulcedo spiritualis alimentum pusillorum, seu infantium; ariditas vero desolatio, & obscuritas cibis perfectorum appellatur. Certum est autem veram lætitiæ non posse procedere, nisi a testimonio bonæ conscientiæ: quæ supposita, ex meditatione divini bonitatis, & liberalitatis erga nos, oritur ex corde quædam fiducia læta, suavis, & jucunda, quæ efficit animum hilarem, & fervidum ad omnia, quæ in beneplacitum Dei ordinantur.

11. Verum, quando meditatio versatur circa nostram ingratitude, vitia, peccata, mortem, infernum, aut similia, oritur per accidens ex devotione alter effectus tristitiæ utilis ad salutem. Uterque effectus salutaris procedere etiam potest ex attenta meditatione passionis Domini. Si enim consideremus amorem, bonitatem, & summam dignationem patientis, qui ex nimia caritate sua talia pro nobis passus est, gaudeamus tenere lacrymantes, & lacrymans suaviter gaudentes. Si autem consideremus nostra delicta, propter quæ abolenda voluit dominus crucis subire tormentum, vere contristamur, & justissime compatitur, & condolemus. Vide D. Th. 2. 2. q. 82. art. 4.

12. Tempus præfixum, quo devotio per

per se obligat ad suos actus, non est facile assignare, cum nullum sit hæcenus ab Ecclesia definitum. Verum cum actus religionis sit, asserimus obligare per se eisdem temporibus, quibus supra diximus, ipsam religionem ad aliquem cultum per se obligare. Obligat autem per accidens, quando urget gravis tentatio contra aliquam virtutem, & quando tenemur elicere alios actus, sive religionis, sive alterius virtutis, qui sine devotione elici nequeant.

13. Si vis, prudens lector, esse vere devotus, age cum devotis, age cum viris spiritualibus, & Deo dicatis, quia cum sancto sanctus erit; fuge quosdam desperdos, vel superbos hujus temporis, pietatis, & devotionis irrisores, ne cum perverso pervertaris, corrumpant enim bonos mores eloquia prava, & citius contrahitur morbus, quam sanitas, tam in physicis, quam in moralibus. Ven. Palafax in coment. ad 3. monit. S. Theres.

## PUNCTUM III.

## De oratione.

14. Inq. 1. Quid sit oratio? R. est *petitio decentium a Deo*. Dicitur *petitio* ad genus orationis designandum, quia per illam convenit cum omni alia petitione, quæ oratio non sit. Ponitur *decentium* loco differentie ad denotandum materiam orationis esse rem honestam, & ordinatam ad honestum finem. Denique dicitur *a Deo* ad significandum, tum, quod oratio est actus religionis, tum, quod Deus est author specialis, & origo omnium bonorum, a quo nostra oratio est implenda. Unde, quando oratio fit sanctis, est solum tamquam intercessoribus apud Deum, & hæc oratio est actus observantia, seu dulcia, non vero religionis, ut infra magis patebit. Oratio in communi est *elevatio mentis in Deum*. D. Thom. q. 83. a. 1.

15. Oratio ergo est actus virtutis religionis, quia omnia per quæ Deo reverentiam, & honorem exhibemus, ad religionem pertinent: sed per orationem Deo reverentiam exhibemus: in quantum ei se subjicit, & proficitur, orando se eo indigere, sicut authore suorum bono-

rum; ut inquit D. Thom. ergo oratio est actus virtutis religionis. Est etiam actus intellectus practici, quia petere ordinationem quandam importat, prout homo disponit aliquid per alium esse faciendum; sed ordinare pertinet ad rationem, seu intellectum, ergo oratio est actus intellectus practici deprecantis Deum, ut postulata concedat. D. Th. a. 3.

16. Objic. Religio est habitus proprius voluntatis, & in ea residet, ergo si oratio est actus intellectus practici, non erit actus religionis, nec poterit ab ea elici. R. Ideo dici orationem elici a virtute religionis, quæ residet in voluntate, non quia sit immediate ejus operatio, sed quia non fit media alia virtute: & ubi unica virtus influit in actum, hic ab illa procedit elicitive, licet fiat per aliam potentiam.

17. Dividitur oratio ex parte orantis in *publicam*, & *privatam*. Publica est, quæ a ministro publico, ad id deputato, nomine Ecclesie pro salute populi, vel aliis fit. Hæc autem non mente sola, sed verbis semper fieri debet. *Privata* est, quæ a persona particulari, ut tali fit, pro se, vel pro aliis: hæc vel mente sola, vel verbis ad libitum fieri potest. Ex parte actus dividitur oratio in *mentalem*, & *vocalem*. Illa est, quæ interiorius, aut mente sola fit. Hæc vero, quæ mente simul, & verbis perficitur: nam si solis verbis fiat, oratio non est: ut inquit egregie seraphica doctrix sancta Theresia in *via perfecti*. cap. 24.

18. Inq. 2. An oratio sit necessaria necessitate *medii* ad salutem consequendam? R. Quod attentis decretis divinæ providentiæ disponens fere omnia auxilia media oratione conferre, esse necessariam ad salutem necessitate *medii*: quia, supposita divina dispositione, oratio est causa moralis necessaria ad salutem impetrandam: Ideoque *Matth. 7.* dicitur: *Petite, & accipietis, & cap. 26. Orate, ut non intretis in tentationem*. Et alibi sæpe in sacra pagina præcipitur, & commendatur oratio: ergo hæc necessaria est necessitate *medii* in hac providentia.

19. Hoc autem non obest, quominus Deus ad suæ liberalitatis ostensionem, absque oratione tribuat cui placuerit gratiam, aut gloriam; ut patet in D. Paul.

lo, cui absque ullis meritis; imo cum multis demeritis, non oranti, sed persequentem tantam plenitudinem gratiæ contulit, ut de persecutore in Apostolum, & vas electionis repente mutaret. Unde constat orationem esse necessariam necessitate *medii*, non absolute, & in omni providentia; sed tantum in præsentem, suppositis decretis Dei. Constat etiam dari præceptum divinum speciale obligans ad orandum: quod probat D. Thom. 2. 2. q. 83. art. 3. ad 2. ex laudato textu *Matth. 7. Petite, & accipietis*. Probat. ratione: nam quod est necessarium necessitate *medii* ad salutem, cadit sub præcepto, ut patet in fide, spe, & caritate; sed oratio ita est necessaria ad salutem, attentam dispositione præsentis providentiæ, ergo cadit sub præcepto.

20. Inq. 3. Quo tempore obliget orationis præceptum? R. circa hanc difficultatem varia esse placita authorum, quæ ad praxim parum intersunt. Quoniam certum est, fideles omnes, vel fere omnes non solum adimplere, sed prævenire obligationem hujus præcepti. Vix enim reperietur, qui diebus festis sacrificio Missæ non assistat, quo supposito, proculdubio satisfacit præcepto orationis. Imo licet obligationem Missæ audiendi culpabiliter aliquoties non adimpleat, nemo est adeo scelestus, qui pluries non solum in anno, sed in mense aliquas preces non effundat. Frustranea est ergo oburgatio cujusdam Neotherici contra auctores, qui hoc ipsum docent, & obligationem orationis ex instituto Ecclesie præscriptam asserunt. Nam, posita hac suppositione, vel dicatur orationem obligare per se semel saltem in anno, vel pluries in anno, aut in mense, nihil officit rectitudini morum. Nec Confessarii interrogant, nec tenentur sollicite interrogare poenitentes de omissionibus, seu violationibus hujus præcepti: quia istæ ex conscientie statu, & aliis, quæ fatentur, sufficienter dignoscuntur.

21. Igitur dicimus præceptum divinum orationis obligare per se sua proportione eisdem temporibus, ac præcepta fidei, spei, & caritatis, & religionis: hæc enim præcepta non minus necessaria sunt ad salutem, quam præceptum orationis. Consulenda tamen est frequens oratio,

quia in scripturis divinis nobis commendatur *semper* orare, & *sine intermissione*: quæ particula consilium, non præceptum continent. Obligat per accidens: 1. Tempore gravis tentationis. 2. Gravis calamitatis populi, vel proximi, quæ orationis præsidium exposcit. 3. Dum oratio est necessaria ad alia præcepta adimplenda, vel ad recipienda sacramenta. Tempus, quo obligat ex præcepto Ecclesie, constabit ex dicendis de horis canonicis, & aliis præceptis ecclesiasticis.

22. Inquires 3. An quando oratio obligat per accidens ratione alterius virtutis, v. g. castitatis, si hæc violas, omitendo illam, duplex peccatum committas? R. negative: quia hæc est differentia inter obligationem *per se*, & *per accidens*: quod violatio illius constituit diversum peccatum; non vero violatio istius. Ratio est: quia tunc una obligatio solum est propter aliam; nec ommissio orationis prohibetur, nec ipsa oratio præcipitur, nisi ad conservandam castitatem: ergo hujus violatio in casu dicto solum constituit unum peccatum. *Explicatur*: quando præcipitur notitia diei festi, ut Missa audiat, si hanc non audias, & illam omittas, unum peccatum solum committis. Cur? quia scientia diei festi solum obligat per accidens, & ratione alterius præcepti, ergo idem de oratione, quando solum per accidens obligat.

23. Pater Concina *tom. 2. pag. 195. n. 13.* oppositum tenet ductus hac ratione: oratio quando obligat per accidens, obligat, erg. qui eam omittit, peccat. Ideo enim peccat, qui eam omittit per totum annum, quia saltem semel in anno obligat. R. neg. conseq. quia variatur appellatio ab obligatione *per se* ad obligationem *per accidens*. Oratio saltem semel in anno obligat *per se*; tempore vero tentationis obligat *per accidens*. Unde ex eo, quod sit distinctum peccatum prima ommissio, non recte inferitur, quod sit etiam secunda. Consequentius procederet Concina, si assereret, quod oratio in omni tentatione obligat *per se*. Dicere autem ex una parte solum obligare *per accidens*, & ex alia ejus omissionem constituere diversum peccatum,

manifesta inconsequentia videtur. Adstruit ipse alibi, quod quando preceptum caritatis obligat ratione gravis tentationis contra castitatem, succumbens tentationi, non peccat contra caritatem, quia hæc pro tunc solum obligat *per accidens*. Cur ergo in præsentī non est idem dicendum?

24. Ultra, quod ex sua opinatione sequitur, in omni peccato adesse aliud specie distinctum contra preceptum orationis. Unde omnis fornicatio, omne furtum, desiderium malum, odium, aut quodcumque aliud crimen duplici malitia constaret, quod est contra commune Theologorum. Dicendum est igitur, quod quando oratio solum obligat *per accidens*, v. g. ratione tentationis, ejus omisio non est distinctum peccatum, alias numquam posset homo committere unum peccatum solum. Nota, hoc dissidium parum referre ad institutum morale, seu ad confessionem, nam poenitens, qui confitetur peccatum, eo ipso manifestat, se non orasse tempore tentationis.

#### PUNCTUM IV.

*De his, qui orari, & orare valent, ac debent.*

25. Inq. 1. Quis possit, & debeat a nobis orari? R. 1. quod ad solum Deum *per se*. & absolute debemus dirigere orationem. Primo, quia solus Deus est author, & principium omnis boni spiritualis, & temporalis, ergo solum ab eo debemus ea petere, & flagitare absolute, & per se. Secundo, quia oratio est actus religionis, & patriæ, qui solum dirigitur ad Deum, includendo omnes personas divinas; licet enim possimus unam personam sine alia invocare, numquam tamen aliquam excludere debemus: quia omnis actio absoluta ad extra est totius Trinitatis: includitur etiam in personis divinis J. Christus D. N. quia Deus est, & debet adorari actu patriæ, sive religionis. Igitur cum oramus dicentes: *Pater noster, qui est in cælis*, aut *pater de cælis Deus miserere nobis*, licet expresse solum patrem nominemus, cum tribus personis loquimur. D. Thom. 2. 2. q. 83. a. 3.

26. R. 2. Angelos, & sanctos, & precipue Reginam omnium sanctorum, & Angelorum posse a nobis orari, ut intercessores apud Deum. Nam licet Christus D. sit precipuus mediator, & advocatus noster apud patrem, secundi tamen mediatores sunt beatissima Virgo, ceterique sancti, qui per merita Christi Domini intercedunt pro nobis ad Dominum. Ratione probatur: Tum quia sanctos, dum vivunt, orare possumus: ut patet in D. Paulo, qui in suis quatuordecim epistolis sedulo aliorum orationibus se commendabat, ergo melius dum regnant. Si enim sancti, quando in certamine adhuc pugnabant, orabant pro aliis, quanto magis post triumphum, & victoriam. Tum quia omnes beati cognoscunt in verbo nostras preces, & orationes ad eos directas, erg. eos orare possumus: nam ob oppositam rationem misere negant hæretici hoc dogma catholicum, delirantes orationes nostras non posse in coelo a sanctis cognosci: ideoque non debere a nobis orari, nec ipsos posse pro nobis orare, in quo errant dupliciter Lutherus, Calvinus, eorumque sequaces, suscitando errorem Vigilanti.

27. R. 3. Animas in purgatorio existentes non posse a nobis orari, aut invocari, ut *per se* intercedant pro nobis: Probatur triplici ratione D. Thom. 2. 2. q. 83. art. 11. ad 3. & alibi. *Prima*, quia nequeunt per se agnoscere, nec exaudire nostras orationes. *Secunda*, quia reus, dum ut talis punitur, non est in statu fundendi preces pro aliis apud Regem, ob cujus offensam ab ipso torquetur. *Tertia*, quia numquam Ecclesia dirigit orationes ad animas purgatorii, ut pro nobis intercedant, ergo signum est, quod nec sunt in statu pro aliis deprecandi, nec nos debemus eas immediate orare.

28. Objic. 1. Moyses, Jeremias, Samuel, & Onias orabant pro aliis, dum essent in alia vita ut colligitur ex 2. Machab. 13. ergo etiam animæ purgatorii poterunt pro nobis orare. R. Prædictos sanctos non orasse in purgatorio, sed in limbo patrum pro communi necessitate populi, cujus notitiam habebant ex tempore, quo in terris degebant: vel per Angelos, aut per alios posteriores illuc trans-

transmigrantes.

29. Objic. 2. D. Paschasius existens in purgatorio miraculum fecit, ergo signum est, quod ibi detentus pro aliis Deum oravit. R. Miracula aliquando fieri a Deo propter fidem postulantium, ad quod non opus est sanctos existentes in purgatorio illa postulare, sed sufficit postulari ab orantibus per merita sanctorum, quorum vitam, & sanctitatem vult Deus miraculis approbare: & hoc accidit in D. Paschasio, juxta D. Thom. in 4. dist. 15. q. 4. art. 5. *questione*. 2. ad 3. Postest etiam responderi, quod ipsi sancti per Angelos certiores facti devotionis sibi obsequium, orare, & impetrare per ipsos Angelos a Deo miracula, & innumera beneficia, quæ quotidie benefactores illorum animarum felicium experiuntur. Nam licet, ut diximus, non possint per se ipsas orare, pro aliis tamen optime, & efficaciter valent per sanctos Angelos, consequi a Deo nobis plurima bona: ideoque earum ferventi devotioni nihil ob stare debet assertio prædicta. Advertas etiam obiter, quod esto animæ in purgatorio non possint pro aliis per se ipsas orare, possunt tamen pro seipsis humiles preces ad Deum fundere, sicut nobilis incarceratus potest hoc ipsum cum Rege, seu Judice facere.

30. Objic. 3. Epulo in inferno sepultus oravit pro se, & pro suis fratribus: *Luce* 6. ergo potiori titulo poterunt animæ purgatorii orare pro se, & pro aliis. R. Quod Epulo non vere oravit, sed vi tormentorum declamavit ad Abraham, quem viribus naturæ videre potuit in limbo. Animæ enim separatae possunt viribus naturæ cognoscere alias animas existentes in limbo, purgatorio, aut inferno, quin earum cognitioni obstet distantia localis, ut inq. D. Thom. 1. p. q. 89. a. 2. & 7. insuper art. 8. dicit, animas, quæ viventibus apparent, hoc facere per bonos, aut malos Angelos, aut aliquando ex speciali Dei dispensatione per se ipsas: quod utique inter divina miracula computandum est.

31. Ex dictis plane sequitur 1. SS. Patres, dum essent in limbo, non potuisse a viventibus invocari, & orari: quia non poterant ex vi status agnoscere viventium orationes. Sed nullus hinc infe-

Tom. I.

rat, nec S. Protoparentem nostrum Eliam posse nunc a nobis orari, & ad eum nostras preces dirigere: quia oppositum nos docet Ecclesia, concedens ex singulari privilegio (nulli vivo concessio) illum colere, celebrare, invocare, & orare, Missa, processione, & officio proprio. Quia ratione supposita, omnes aliarum rationes superfluant: ita ut asserere ipsum, vel a nobis orari, vel pro nobis orare non posse, erroneum, & de fide suspectum esset.

32. Sequitur 2. omnes illos beatos posse pro nobis orare ad quos diximus, non posse dirigere orationes, tamquam ad mediatores: hoc est dogma catholicum ab omnibus assertum contra hæreticos illud pertinaciter negantes. Sed, licet Christus D. sit principalis mediator noster, non solum dum in terris degebat, sed etiam nunc in coelo semper vivens ad interpellandum pro nobis: qua ratione possumus privatim ipsum orare, ut intercedat pro nobis apud patrem; tamen in oratione publica non est dicendum: *Christe ora pro nobis*, ne videamur convenire cum Arrio, & Nestorio Christum verum Deum esse negantibus. D. Th. ubi sup. a. 4.

33. Inq. 2. Qui possint, & debeant orare? R. omnes sive justos, sive peccatores posse, & debere pro se ipsis, & etiam pro aliis orare. Patet ex epist. *Jacobi* 5. *Orate pro invicem, ut salvemini*. De peccatoribus autem constat ex *Luce* 18. ubi Publicanus oravit dicens, *propitius esto mihi peccatori*. Constat etiam, quia oratio, ut impetratoria, non requirit gratiam in orante, sed nititur in Dei benignitate, ergo non est, cur nequeant orare tam pro se, quam pro aliis. Nec obest illud cæci apud Joannem *cap. 9. scimus, quia peccatores Deus non audit*. Nam R. vel illud dixisse nondum illuminatum, vel de peccatore prava petente, vel absque pio desiderio de sua salute, vel volente confirmare miraculis suam iniquitatem. Vid. D. Thom. 2. 2. q. 83. a. 16.

34. Nota hic P. Concinnam dicere, orationem posse esse meritariam, quin sit impetratoria: in quo vere fallitur, aut nimis improprie loquitur. Nam aliud est orationem non esse impetratoriam, aliud non impetrare tunc petitionem. Ut enim

Ooo

ora-

oratio sit impetratoria, non requirit impetrare precise id, quod petit; sed sufficit esse veram orationem; alias sacramentum non esset causativum gratiæ, dum actu illum non causat. Imo nunquam vera oratio desinit impetrare aliquid ex Dei benignitate, esto non consequatur idipsum, quod poscit, ut patet in exemplo allato in oppositum a P. Concina. Quis enim in dubium vertere queat, D. Paulum, dum oravit stygium carnem a se auferri, non impetrasse gratiam ad victoriam, licet non ablationem stimuli? Itaque in omni vera, & sincera oratione licet non impetremus id, quod poscimus, impetramus, quod poscere debemus, vel quod magis convenit nobis.

35. Inq. 3. Qualiter religiosi ad orationem mentalem teneantur? R. Qualitatem obligationis sub qua religiosi ad orationem mentalem teneantur, venandam esse præcipue ex regula, constitutionibus, & consuetudine legitima propriæ religionis: quia jus commune nihil decernit circa orationem mentalem, ergo ad cognoscendam obligationem sub qua religiosi ad eam adstringuntur, consulendæ sunt peculiæ leges, ac statuta cuiusque religionis. Unde omnes, & singuli Carmelitæ sub veniali ad orationem mentalem teneantur, quia regula eorum, quæ sub veniali tantum obligat, ita decernit: *Maneant singuli in cellulis suis, vel juxta eas in lege Domini meditatores, & in orationibus vigilantes, nisi aliis justis occasionibus occupentur.* Hæc jugis meditatio, & continua oratio non est metaphisica, sed moralis, cui satisfit per orationes jaculatorias, piæ cogitationes, ac Dei præsentiam. Item per studium sacræ scripturæ, ac theologiæ, vel alterius scientiæ, aut lectiois, quæ ad sacræ scripturæ, aut theologiæ, vel animæ profectum conducit. Similiter fit ei satis per orationem vocalem mentali adjunctam, exceptis duabus horis quoad omnes, & tribus quoad Eremitas, a constitutione singulis diebus præcise ad mentalem præscriptis. Verum qui tantum didis duabus, vel tribus horis orationi vacaret, obligationem regulæ sufficienter non adimpleret.

36. Quamvis autem obligatio orandi ex vi regulæ veniale non excedat; quia

tamen obligatio tendendi ad perfectionem respectu cuiuscumque religiosi est gravis, ex hoc capite omnes religiosi teneantur sub gravi vacare orationi mentali. Tum quia religiosus sine oratione est miles sine armis, aut corpus sine anima. Tum quia per difficile est religiosum ad perfectionem tendere absque oratione mentali. Imo difficillimum est christianum sine aliqua oratione diu conservare gratiam, aut mandata divina observare. Nam unde tanta mitigatio in religionibus, nisi ex defectu orationis? Unde tanta morum dissolutio in republica Christiana, nisi ex defectu orationis? Vix est, qui serio meditetur mortem, iudicium, aut infernum. Vix est, qui attente recogitet brevitatem presentium, & æternitatem futurorum? Hinc, *desolatione desolata est omnis terra, quia nullus est, qui recogitet corde.* Jeremia 12. 11.

#### PUNCTUM V.

##### Pro quibus sit orandum?

37. Inq. 1. Pro quibus possit orari? R. Quatuor sunt certa in hac materia. 1. Est certum pro beatis non esse orandum, quia sunt in termino suæ felicitatis, ubi nihil indigent. Injuriam enim facit Martiri, qui orat pro Martire. Possumus tamen orare pro aliqua gloria eorum accidentali: quia hoc est orare, ut Deus in electis suis amplius sanctificetur. 2. Est certum non posse nos orare pro damnatis, quia sunt in termino suæ infelicitatis, ubi nulla est redemptio. Quod autem refertur de Trajano eruto ab inferno orationibus D. Gregorii, *si vera est historia*, tribuitur privilegio singulari, quod non facit exemplar, nec potest admitti, nisi asserendo non fuisse absolute, & finaliter, sed conditionate damnatum. Possumus tamen orare pro illo, quem videmus decedere mortale operando, ut se jugulantes: quia forte in illo instanti Deus illi præbuit auxilium efficacius ad veram contritionem. 3. Certum est posse, & debere nos orare pro cunctis viatoribus, sive justis, sive injustis, amicis, aut inimicis, eo pari modo, ac supra diximus nos teneri eos diligere, & subvenire. Pro excommunicatis etiam vi-

tandis potest quilibet, ut persona particularis, orare, sicut potest illis elemosynam facere. 4. Est certum nos debere orare pro animabus purgatorii, & suffragia nostra illis prodesse: Ut constat ex sacra pagina, ex Conciliis, SS. Patribus, & omnibus Theologis contra hæreticos, qui non agnoscent, nec agnoscent purgatorium, nisi depositis suæ sectæ tenebris, ad veram fidei lucem convertantur: quibus tamquam de fide suppositis.

38. Inq. 1. An sit melius pro animabus purgatorii, quam pro peccatoribus orare? R. Melius esse, & Deo gratius, nobisque utilius orare pro animabus purgatorii, quam pro peccatoribus. *Primo*: quia Animæ purgatorii sunt objectum nobilius, quam peccatores: actus autem ad melius objectum terminatus, est melior, Deo gratior, nobisque utilior. *Secundo*, quia Animæ purgatorii sunt amici Dei, peccatores vero inimici. *Tertio*, quia caritas ipsa magis inclinatur ad subveniendum justis, quam peccatoribus. *Quarto*, quia illa felices animæ sunt benemeritæ spiritualis elemosynæ, eo quod victoriam, & triumphum pro gratiam Dei ab omnibus hostibus reportarunt, postquam in hoc sæculo strenue dimicarunt. *Quinto*, quia ex parte termini ad quem majus opus est, deducere animam ad cælum, ad visionem beatam, ad fruitionem Dei, & ad gratiam inamissibilem, quam peccatorem ad gratiam amissibilem. *Sexto*, quia animæ purgatorii sunt objectum majoris compassionis, & misericordiæ, quam peccatores: tum quia isti non patiuntur acerbissimos cruciatus, & poenam damni, sicut illæ: tum quia peccatores possunt se juvare, & mediante Dei gratia per se ipsos a statu peccati liberare; pauperim vero animæ nec se juvare valent, nec ab illo horribili carcere per se ipsas erueri.

39. *Septimo*: quia hanc piæ assertionem perpetuo nos docet S. mater Ecclesia, quæ hæctenus non decrevit officium solemne pro conversione peccatorum, sicut instituit pro suffragio animarum die 2. Novembris. Necnon in omnibus liturgiis, ac sacrificiis a tempore Apostolorum in secundo *Memento* pro defunctis constituto. Præterea in cunctis feriis secundis jubet fieri earum commemoratio-

nem, & processionem. Deinde decernit, ut hora canonicæ concludatur cum prece pro ipsis, dicendo: *Fidelium anime per misericordiam Dei requiescant in pace.* Quod omittit in completorio: supponens nullum esse adeo parum piæ, qui prece non fusa pro animabus, somno se tradat. Quia ratione in omnibus fere orbibus Ecclesiis excitantur fideles ad hujusmodi orationem per cymbalum sub vespere pulsatum. Denique ad hunc finem pissimum approbat Ecclesia confraternitates, & communiones menstruas cum indulgentiis plenariis, ergo signum est, orationem pro animabus fusam meliorem, gratioremque esse Deo, ac nobis utiliore, quam pro peccatoribus.

40. Si autem quis adhuc de hac veritate dubius existat, timeat, ne sibi, licet feliciter, contingat, quod S. Ludovico Bertrando, qui magis addictus orare pro peccatoribus, suavis sæpe fuit a fratre Benedicto ejusdem ordinis, juvenis potius esse defunctus, quam vivos. Quantumcumque Benedictus animarum lucro inhians eum rationibus suaderet, Bertrandus in sua persistebat opinione, donec sequenti nocte, apprensus illi quædam anima ex purgatorio, adeo eum tota nocte coangustavit, ut penitus confici videretur: exindeque dolens mutavit sententiam, & cepit benefacere defunctis, præferens illos peccatoribus. Vide Leonem a S. Laur. *Serm. 1. de carcere purgatorii num. 7.*

41. Inq. 2. An satisfactio, & suffragia defunctis, aut aliis applicata prosint eis infalibiter ex justitia? Pro resolutione nota, quod oratio, aut quodlibet opus bonum triplicem potest habere effectum, nempe *meritorium, satisfactorium, & impetratorium.* Meritorium est, qui procedit ab opere hominis viatoris, & justitiam quia, *meritum est opus conferens jus ad præmium.* Dividitur in meritum de condigno, & meritum de congruo. Primum fundatur in justitia perfecta, hoc est in gratia, & caritate, cui correspondet præmium vitæ æternæ, vel aliud operi condignum, aut augmentum gratiæ, aut virtutum: hoc meritum ita est proprium operantis, quod alteri nequeat applicari. *Meritum de congruo* fundatur in justitia imperfecta, hoc est, partim ex justitia-

titia, & partim ex quadam decentia: decet enim, quod Deus, non solum remuneret opera justi conferendo ei præmium, sed communicando etiam aliis bona secundum applicationem, & orationem iusti. Hoc meritum poterit alteri applicari, ideoque potest justus mereri de congruo gratiam peccatori. Et beatissima Virgo omnibus meruit de congruo Incarnationem filii sui.

42. Effectus *satisfactorius* consistit in eo, quod actus sit laboriosus, Deo gratus, ab homine justo factus, & possit assumi ad solutionem poenæ temporalis pro peccatis debitæ. *Impetratorius* non requirit gratiam in operante, sed prout jam diximus, nititur in Dei benignitate, & clemencia. Hic est præcipuus effectus orationis, alios autem duos quodlibet opus bonum habet. Oratio vero, cum ex natura sua sit *petitio decentium a Deo*, peculiariter habet inclinare Deum ad concedendum id, quod ab eo petitur. Huic triplici effectui operis boni solent aliqui addere quartum, nempe *propitiatorum*, hoc est, reddere Deum propitium. Quia quodlibet opus bonum ad salutem æternam ordinatum, licet a peccatore factum, reddit Deum pacatum, aut propitium, vel ne statim puniat, vel ut tribuat auxilia ad resurgendum a peccato, vel ne ulterius prolabatur. Quibus prænotatis:

43. R. Orationes, aut satisfactiones oblatas, supposito pacto Dei, habere infalibiler ex iustitia aliquam poenam eorum diminuere, non vero a tota poena absolvere, licet condignæ, & superabundantes sint. Patet in sacrificio Missæ, quod esto sit valoris infiniti, non tollit totam poenam, cui applicatur; sed hoc pendet ex Dei voluntate, & acceptatione. Ita ut infalibiler prosit ex iustitia ei, cui applicatur; sed magis, aut minus pendet ex Dei clemencia, & acceptatione. Pendet etiam ex dispositione illius, pro quo offertur: hæc autem dispositio consistit, vel in devotione, quam quis dum viveret, habuit erga altissimum Eucharisticum mysterium, vel per frequentem communionem, vel ferventem Missarum auditionem, vel erga animas purgatorii omni modo possibili eis suffragari curando. Talis enim ex divina pietate copiosorem satisfactionem ex suffragiis

vivorum absdubio obtinebit. Videatur D. Thom. in 4. dist. 45. q. 2. art. 1. *quæstiunc. 3.*

44. Hæc sententia non solum est probabilior, & de mente D. Thomæ; sed etiam magis pia, fovet enim devotionem moriturorum; ut disponat plures Missas pro se dicendas: quia cum qualibet infalibiler aliquam partem poenæ debitæ remittat, multiplicatis sacrificiis possunt totum debitum quantocius extinguere. Disspellit etiam aliorum torporem, qui paucis sacrificiis pro se offerendis post mortem contenti, quasi secure decedunt: verum absdubio poenæ hujus indevotionis, & ignavia poenitebunt, quando eis occurrere non valebunt.

## PUNCTUM VI.

## Alia dubia de oratione.

45. Inq. 1. An oratio pro pluribus facta, æque prosit, ac si fiat pro paucis? R. quod in ratione satisfactionis non æque prodest multis, ac paucis; in ratione vero impetrationis omnibus æque proficit. Ratio primæ partis est, quia hæc satisfactio est finita, ergo quo pluribus applicatur, minus singulis prodest: ut videre est in certa summa pecuniæ, quæ pluribus distributa, minus unicuique contingit. Ratio secundæ partis est, quia impetratio præcipue innititur in Dei misericordia, & liberalitate: ergo non minuitur, eo quod ad plures extendatur. Est enim impetratio sicut lux accensa in cubiculo, quæ sive uni, sive pluribus, æque omnibus lucet.

46. Inq. 2. Quando, vel quomodo eruntur a purgatorio animæ, quæ nullum habent, qui earum recordetur? R. quod, attenda pietate divina, tales animæ non patientur in purgatorio per omne tempus requisitum, ut per propriam satisfactionem, vel *satisfactionem* extinguant omne debitum, sed Deum applicare eis suffragia, quibus aliæ, vel non indigent, vel eorum non sunt dignæ: quia hoc est valde credibile de divina misericordia: ut cum Damasceno docet D. Thom. in 4. dist. 45. q. 2. art. 4. *quæstiunc. 3. ad 2.* Præterea Ecclesia, & fideles offerunt Missas, & suffragia pro defunctis in com.

communi: quæ quidem opera satisfactoria pie creditur Deum similibus animabus applicare, ut ex vi illorum sua debita solvant, ab illoque carcere citius, quam divina iustitia exigebat, eruantur.

47. Tempus, quo animæ detinentur in purgatorio, ignotum est nobis; late enim aliquas, ipsas etiam felices, animas. Opinio dicens non detineri ultra decennium, nullo gaudet fundamento; nec, quæ quidam junior obrudit in præsentibus contra Salmanticenses, solidiori rationi nituntur. Animas ultra decem, viginti, & amplius annos cruciari in purgatorio habetur ex pluribus piis revelationibus, & præcipue ex quibusdam admissis, approbatis, & annotatis a V. Palafox, cujus singularis eruditio, egregia doctrina, & fama sanctitatis jam incipiunt præfulgere in Ecclesia. Utinam plene refulgeant!

48. Inq. 3. Quæ sint licite a Deo in oratione petenda? R. 1. Quod licet Socrates putavit, nihil ultra petendum a Diis, quam ut bona nobis tribuerent, quia ipsis patebat, quid unicuique esset utile: nos vero dicimus gratiam, gloriam, virtutes, dona supernaturalia, & omnia, quæ nos ducunt ad vitam æternam esse absolute a Deo petenda. Quia hæc omnia cedunt in gloriam Dei, & utilitatem spiritualem nostram. R. 2. Bona temporalia necessaria ad vitæ conservationem posse etiam absolute peti a Deo: quia hæc bona sunt per se appetibilia sicut ipsa natura, & quemadmodum tenemur conservare vitam, ita petere necessaria ad ejus conservationem. Unde Salomon petivit absolute victui suo necessaria, & Ecclesia frequenter orat pro salute, pro pluvia, & aliis ad vitam necessariis, ut præsentibus subsidiis sufficienter adjuti, sempiterna fiducialius appetamus. Hæc, licet minus principaliter, petimus in oratione dominica, cujus explicatio dabitur in fine operis.

49. R. 3. Alia bona non necessaria ad vitam, ut honores, divitiæ, & alia hujusmodi non esse absolute a Deo petenda, sed sub conditione, si conducant ad ultimum finem assequendum, vel ad actus virtutum deserviant: quia hæc malum eventum possunt ex se habere. Unde audax esset, & satis amens, qui a

Tom. I.

Deo peteret Episcopatum, Magistratum, Præfecturam, Dignitates, aut officia honorifica: quia esto objectum hujus desiderii malum non sit; valde tamen periculosum est, cum sint onera Angelicis humeris formidanda. Videatur D. Thom. 2. 2. q. 83. a. 5. & 6. ubi de his omnibus agit.

## CAPUT II.

## De adoratione Dei, &amp; sanctorum.

## PUNCTUM I.

## Notio, &amp; divisio adorationis.

50. Inq. 1. Quid sit adoratio? R. est actus, quo Deo, & sanctis exhibetur proprius cultus ob eorum excellentiam. Dicitur primo in *latriam*, *hyperduliam*, & *duliam*. Quoniam adoratio distinguitur juxta adorati excellentiam, hæc autem est triplex. Prima increata, quæ est propria Dei, & huic excellentiæ correspondet *latria*. Secunda propria beatissimæ Virginis Mariæ propter eminentem dignitatem, gratiam, & perfectionem super omnes sanctos, cui correspondet *hyperdulia*. Tertia excellentia est propria sanctorum propter gratiam, & sanctitatem a Deo participatam, cui correspondet *dulia*. Adoratio autem, quæ tribuitur superioribus ob motivum naturale, dignitatem, aut officium, dicitur *observantia*. D. Thom. 2. 2. q. 103.

51. Secundo dividitur adoratio in *internam*, & *externam*. *Interna* est actus interior, quo nos summittimus Deo tamquam supremo omnium rerum principio, & ita Angeli, & animæ beatæ Deum adorant. *Externa* est actus exterior signo exteriori manifestatus: ut inclinatione capitis, genoflexione, aut prostatione. Hæc adoratio principaliter est in interiori, secundario autem in corporalibus humilitatis signis: unde licet possit dari adoratio interna sine externa; non vero e contra: quia sola exterior adoratio potius est fictio, quam actus religionis.

52. Tertio dividitur in *absolutam*, & *respectivam*. *Absoluta* est quæ tribuitur creaturis, quæ ex se sunt capaces excellentiæ, superioritatis, gratiæ, sanctitatis,

Ppp

tis,